

## VIII ORACULA

19 (17) Perdet Croesus Halyn transgressus maxima regna.

---

20 (18) Vicinis offensa, deo carissima plebes,  
armorum cohibe munimina, corporis omne  
discrimen sola capitis tutabitur umbra.

---

## Q. AURELIUS SYMMACHUS

1 Attica palla tegit socerum, toga picta parentem:  
praefuit iste sacris, hic dixit iura Quiritis;  
at mihi castrensem quod mordet fibula vestem,  
Aurorae in populis regum praetoria rexi.  
Sed fasces pictura tacet: tu respice fastus.

---

2 Huc deus Alcides stabulanda armenta coegit  
eruta Geryonae de lare tergemini.  
Inde recens aetas corrupta boaulia Baulos  
nuncupat occulto nominis indicio.  
Ab divo ad proceres dominos fortuna cucurrit,  
fama loci obscuros ne pateretur eros.  
Hanc celebravit opum felix Hortensius aulam,  
contra Arpinatem qui stetit eloquio.